

Rome, 30 septembre 1600.

/ Discreto viro sacrae theologiae vel decretorum doctori aut licenciato ad audiendas confessiones ab ordinario approbato.

Exponi fecit lator praesentium S^{mo} D. N. qualiter ipse annos natus quindecim et aliquot menses suscepit sacrum ordinem subdiaconatus: postea vero relicto habitu sacro in militiam profectus uxorem duxit, et cum ea plurimos annos vixit, et proles ex ea suscepit, ignorante praedicta uxore hoc impedimentum; ideo supplicavit humiliter pro dispensatione in voto illo solemni castitatis. Qui Sanctissimus Dominus annuit supplicanti, mihi que vivae vocis oraculo mandavit, ut cum eo dispensari facerem in foro conscientiae ab aliquo viro discreto atque ab ordinario ad confessiones audiendas approbato. Tibi igitur committimus, ut eum à quo hae litterae praesentabuntur, in sacramentali confessione audias, et imposita salutari poenitentia cum eo dispenses in voto solemni castitatis, quo tenetur ob susceptum sacrum subdiaconatus ordinem; et quia matrimonium hactenus contractum irritum est, iubeas eum cum uxore sua praetensa iterum secreto contrahere, et prolem susceptam et suscipiendam legitimam in eodem foro conscientiae declares. Admoneas quoque quod si forte uxor eius ante ipsum moriatur, coelibem vitam ducere debeat. Et quoniam de iure tenetur ad horas canonicas recitandas, eadem Sanctissimi Dⁿⁱ auctoritate poteris cum eo dispensare, ut loco divini officii recitet officium parvum B. Mariae, et tertiam partem rosarii. Datum Romae... die 30 septembris 1600.

Robertus Cardinalis Bellarminus.

25 F. B. 5, f.138. Minute autogr.